

1571

xillifero extincto eripitur. Cum per quinque horas pugnatum esset, fracti, ac cæsi hostes discedunt. In eo certamine e nostris centum ac viginti desiderati, inter quos Bernardinus Eugubinus, Joannes Franciscus Gaucus præfecti; totidem vulnerati, in iis Hercules Malatesta, Petrus Comes, Nestor Martinengius lapide in faciem petitus. Ob rem bene, ac prospere gestam grates Deo Optimo Maximo actæ; tactique religione milites, expiatis conscientiarum sordibus, divino se Sacramento reficiunt, quo mente, ac corpore expeditiores, acerrime decertando, imminens lethum intrepidi spe supremæ felicitatis exciperent. Postridie ejus diei sub vespertum cum speculatoria e Creta accessisset, confestim triremes quadraginta, naves quatuor commeatu, milite, bellico apparatu refertas propediem in Cyprum venturas evulgatur. Eo nuntio oppidanorum ac militum sublatis animis, summo mane ad mœnia concurritur, eminentiora urbis petuntur loca: si forte adventantia subsidia conspicerentur. Ejusmodi est mortalium ingenium, ut vel afflictis, ac perditis rebus fortunæ mutationem sibi polliceantur. Verum pro inani lætitia verus mœror subiit. Nam Barbaræ navis, quæ cum aliis ad importanda subsidia instructa fuerat, naufragium, Cretensium triremium, ut se foederatæ classi jungerent, ad Messanam profectio nuntiabatur. Inde spes omnis auxiliorum ablata: licet Bragadenus, atque ii, penes quos summa consiliorum erat, vehementer commoverentur, attamen, ingenti pectore dolore compresso, spem vultu simulantes, hilaritate perfusi, cives ac milites ad fortiter dimicandum incitabant: *Tantisper durarent, donec, in ventis subsidiis, omnes ex animo curas, molestiasque depellerent: nunc constantia opus esse; qui modo veræ virtutis, ac solidæ gloriæ stimulis subnixi furentem tot hostium numerum e mœnibus repulissent, nullos labores, nulla pericula formidarent.* His confirmati milites, se ad pugnam comparant; non mœnibus perfractis ac semidirutis, non defensionibus ab hoste ereptis, non tabernaculis in fossis defixis terrentur; hemicyclii, retracti, aggeres, qui cuniculo disjecti fuerant, reficiuntur: quantum diurnis operibus Turcæ demoliuntur, tantum nocturnis a nostris sarcitur. Pari diligentia, ac studio aliis

*Obsessorum
duces in-
perfecti.*

*Speculato-
ria Creten-
sis Tamaf-
sensibus
spem subsidii
adimit.*